



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 2. Axiomata quomodo Latinè vocanda sint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

Axiomata quomodo Latine vocanda sint.

CAPV^{VS} II.

INEPTE faciunt, qui ἀξιόματα dignitates vocant. cuius prauæ consuetudinis Hermolaus Barbarus auctor fuit. neque nego ἀξίωμα interdum idem valere, quod dignitatem; sed nihil hoc ad ea, de quibus agimus, axiomata. neque minus ineptiunt, qui proloquia vocant, aut pronuntiata: in quorum tamen posteriorum Ciceronem se habere auctorem putant. sed falluntur. Nam Cicero hanc vocem, ita vt à Stoicis accipiebatur, interpretatus est: qui axioma vocabant quamlibet enuntiationem, id est πρόφανση. id quod Laërtius docet. ac si quis eo modo ἀξίωμα accipiat, tum sanè vel pronuntiatum, vel, si volet, proloquium dicat. Apud Aristotelem quædam & mathematicos alia huius vocabuli vis est. qui, vt notum est, axiomata vocant communes quasdam sententias, quæ non tantum verae sunt, sed etiam veræ omnibus videntur. Verbum autem ἀξίον, sæpè apud Græcos, sine vlla dignitatis aut indignitatis significatione, idem valet, quod existimare ac sentire. Inde igitur ἀξιόματα, ὅτι πάντες ὄντες ἀξίονσιν. vnde & κοινὰ ἔννοιαι vocantur. Aut igitur vocem Græcam retinuerim, aut sententias potius, quàm vel pronuntiata, vel proloquia, vel dignitates dixerim.

Comparatione quadam Lucretiana vsus etiam Theophrastus ostenditur. CAP. III.

NOTA est comparatio, qua vsus est Lucretius, cum se idem facere dixit, quod medicos: qui amatam aliquam portionem pueris dare cupientes,

— prius oras pocula circum
Contingunt dulci mellis flauoq; liquore.

videtur